CONCLVSIONES
EX VNIVERSA RATIONALI PHILOSOPHIA
IVXTA' D. THOMÆ AQVINATIS SENTENTIAM,

EMINENTISS. AC REVERENDISS. PRINCIPI

D. D. FRANCISCO BONVISIO

S. R. E. CARDINALI AMPLISS. ET LVCÆ EPISCOPO.

F. SYLVESTER MARIA MANSI LUCENSIS ORD. PRÆD.

D. D. D.

Defenſabuntur publicè in Eccleſia S. Mariæ Novellæ de Florentia.
Menſe Die Hora

FLORENTIÆ, MDCC.
Ex Typographia Petri Matini, ſub Signo Leonis Aurei.
SUPERIORUM PERMISSU.

EMIN.ME PRINCEPS.

MIraberis profectò, EMINENTISS. PRINCEPS, adeò perfrictâ fronte me auſum fuiſſe his Theſibus Te interpellare; quaſi tuam ignorem magnitudinem, quæ meas iſtas Theſes cum temeritate coniunctas oſtendit, ſed cui niſi ſapienti ſapientiæ fructus? cui niſi docto doctrinæ ſolertiam? cui niſi literis prædito, & Palladis cuſtodi palladium munus eſt conſecrandum? Multos quidem præclariſſimos agnoſco Viros, in quo verò virtutes vim omnem expreſſerint ſuam, præter Te, EMINENTISS. PRINCEPS, ferè neminem cognoſco, qui virtutum ornatu cla-

riorem reddidiſti venuſtam tuam Proſapiam, *Summa enim apud Deum nobilitas*, teſte Hieronymo, *eſt clarum eſſe virtutibus*. Vix enim firmiores attigiſti annos cum ſolertiſſima indoles, & ad maiora virtutum, literarumque incrementa propenſius involans iuventutis ocium indignanter ferret, antevertit namque ætatis mores virtutis ardor, & altæ inſita famæ cupiditas vires generosè prævenit. Iſtæ animi dotes Te à Reipublica Lucenſi Romam extulerunt, quam ingreſſus quid de Te magis admirandum fore dubitabant, an religio in verbis, an modeſtia in actionibus, an urbanitas in vultu, an efficacia in oratione, an prudentia in rebus agendis, & cum hæc omnia in Te uno omnes viderent Te unum inter cæteros Vrbis Heroas digniſſimum acclamabant. Hinc iam ætate florentem, & fama has præclaras buccinante dotes Vaticana Sedes inter plurimos, Te in Apoſtolicum Legatum ad Regia, atque Cæſarea Diademata ſelegit. Quo in munere rectius laudabit, qui plenius ſiluerit. Emicabant enim in Te ſplendidiſſimæ illæ Virtutes, Magnificentia ſcilicet, & Magnanimitas, quæ ut Angelicus meus Præceptor docet, ampliſſimam mate-

riam

riam bonorum, honorumque ſuppeditant, illa, ut decet, magnum Principem bona effuſiſſimè diſtribuit, iſta actiones honorificas reddit; At non minus Eccleſiæ amor, Fidei zelus, Religionem propagandi fervor, iuſtitiæ ſtudium, erga pauperes pietas, omneſve aliæ ad magni Principis ornatum deſervientes virtutes refulgebant in Te, inter quas veluti omnium regina maximam ſuam vibrabat lucem Prudentia, quandoquidem in ea valdè rutilans quaſi ſtella matutina in medio nebulæ tantopere effulſiſti, ut de Te fas erat dicere, quod alteri aptavit Cicero *optimus ille vir conſilio, & prudentia magnus, magnarumque virtutum dotibus commendatus*, quibus non tàm nativo ſub Cœlo, quàm longè, latèque ita conſpicuiſti, ut omnium ferè Principum ſingularem Tibi amorem conciliaſti, & Eminentiſſimo Purpuratorum Principum Collegio adſcriptus fuiſti, *non hanc dignitatem poteſtate furatus*, ut cum Baſilio loquar, *nec eam per vim potitus, nec honorem perſequutus, sed ab honore quæſtus*. Ac tandem honori auxit honorem Lucenſis Epiſcopatus, in quo veluti vetuſta apis, quæ nihil niſi mella effundit, Subditorum corda lætanter mulces, & blanditijs allicis.

 Quia

Quis non invideat tanto Præſuli in moderamine efficaci, in ſeveritate benigno, in manſuetudine gravi, imò glorioſus oſtentat ſine vanitate pietatem; humanitatem ſine nugis, ſine contentione conſtantiam; Incollapſis moribus vindicandis, atque Eccleſiaſtica tuenda diſciplina, nullis parcit laboribus, nunquam non in regendis ovibus, ac profligandis lupis vigil Paſtor inſudat, in ægenos ſemper munificus, benevola in omnes comitate largiſſimus. Nil igitur mirum, EMINENTISS. PRINCEPS, ſi ad Te confugi, dum adeo urgentibus ſtimulis præmor. Grandiora quidem fateor Tibi deberi, ſed confido tuam benignitatem non ignorans, meam temeritatem fore condonaturum. Vale.

Eminentiæ Veſtræ.

Humillimus, Obſequentiſs. & Addictiſs. Servus
Fr. Sylveſter Maria Manſi.

CON-

CONCLUSIONES EX VNIVERSA RATIONALI PHILOSOPHIA.

1 PRæter Logicam naturalem datur Logica artificialis, quæ eſt ars liberalis, & ſcientia ſimpliciter ſpeculativa, & ſimilitudinariè tantum practica; cuius obiectum formale non ſunt operationes intellectus, ut dirigibiles, nec ut directæ, ſed inſtrumenta ſciendi pro formali, ſive, quod idem eſt, ens rationis directivum operationum intellectus.

2. Dividitur in docentem, & utentem non quidem realiter, ſed tantum per rationem, & ſecundum primam formalitatem reduplicativè eſt ſcientia, non tamen ſecundum ſecundam, licèt ſecundum utramque ſit ars liberalis, minimè tamen ſecundum quamlibet ſeorſim.

DE ENTE RATIONIS.

3. DAtur ens rationis, quod non conſiſtit in pura extrinſeca denominatione, nec in aggregato ex extremis realibus, & cognitione intellectus falſo adunantis, ſed in eſſe ficto, & impoſſibili adæquatè diſtincto ab omni poſſibili, undè eſt illud quod habet eſſe obiectivè tantùm in intellectu.

4. Ens rationis non fit a phantaſia, nec alijs ſenſibus internis, ſivè externis, nec a voluntate, ſed ab intellectu humano potente ipſum efficere per quamlibet ſui operationem, non tamen per quemlibet actum, ſed tantùm per comparativum, ſive directum, ſivè reflexum.

5. Sem-

5. Semper quod cognoſcitur ab intellectu, per ſpeciem entis realis cognoſcitur ſivè impreſſam, ſivè expreſſam, ſi una cognitione cognoſcatur ens reale, & ens rationis; Si autem duplici cognitione cognoſcitur per propriam ſpeciem expreſſam non tamen impreſſam, licèt ſuppoſita entis rationis cognitione per ſpeciem entis realis poſſit intellectus formare ſpeciem impreſſam immediatè, & directè entis rationis repræſentativam.

6. Dividitur in ens rationis ratiocinatæ, & ens rationis ratiocinantis, primum ſubdividitur in negationem, privationem, & relationem, & quamvis habere poſſit ſivè reale, ſivè rationis fundamentum, tamen nunquam per exiſtentiam ſui fundamenti exiſtere poteſt.

DE INTENTIONIBVS.

7. Dantur intentiones, quæ dividuntur in obiectivas, & formales, & ambæ ſubdividuntur in primas, & ſecundas, & tàm prima intentio formalis, quàm ſecunda ſemper eſt ens reale, non verò prima intentio obiectiva, quæ aliquando realis eſt, aliquando rationis; ſecunda verò ſemper ens rationis eſt.

DE VNIVERSALIBVS.

8. Dantur univerſalia non tantùm in voce, ſed & ex parte rei ſignificatæ, licèt ut abſtracta à ſuis inferioribus, nec de potentia Dei abſoluta exiſtere poſſint, quia ut ſic ſunt unum in multis, & de multis. Dividuntur in univerſale logicum, & metaphyſicum.

9. Univerſale metaphyſicum conſtituitur per unitatem rationis, undè fit per abſtractionem poſitivam intellectus paſſibilis tantùm. Univerſale autem logicum conſtituitur per reſpectum rationis ad inferiora, ut ad ea, in quibus poteſt eſſe; & tantùm fit per ſimplicem operationem intellectus paſſibilis.

10. Natura, quæ univerſalis denominatur, in triplici ſtatu invenitur, ideſt in ſtatu ſolitudinis, ſingularitatis, & abſtractionis,

nis, natura in primo ſtatu non eſt una, nec apta poſitivè, benè verò negativè, in ſecundò autem ſtatu nullam ſivè unitatem, ſivè aptitudinem habet, in tertio ﬅnitate, ſicut & aptitudine poſitiva gaudet.

11. Inter naturam, & eius ſingularitates ante operationem intellectus nulla datur actualis diſtinctio, aut formalis ex natura rei, aut virtualis intrinſeca, undè natura, & eius ſingularitates tantùm diſtinguuntur ratione ratiocinata, & obiectivè præſcinduntur ab intellectu.

DE PRÆDICABILIBVS.

12. Prædicabilia ſunt tantùm quinque, nempè genus, ſpecies, differentia, proprium, & accidens; quæ omnia ſunt ſpecies univerſalis, undè ſub ipſo continentur tanquam diviſio generis in ſpecies.

13. Genus eſt unum in multis ſpecie diſtinctis, & de illis prædicabile in eo quod quid, cuius definitum formale, ſicut & in alijs prædicabilibus non eſt aggregatum ex natura, & ſecunda intentione, nec natura, ut ſubſtat ſecundæ intentioni, ſed eſt ſecunda intentio, ut connotans naturam.

14. Inferiora generis non ſunt entia privativa, aut incompleta tàm phyſica, quàm metaphyſica, ſed ſolùm ſnnt entia completa, de quibus licèt pro explicito, & formaliter, ut pars prædicetur, tamen pro implicito, ut totum prædicatur.

15. Genus, & differentia deſumuntur à materia tamquam à principio radicali in compoſitis ſubſtantialibus, & à tota eſſentia, ut determinabili tamquam à cauſa proxima; in accidentibus verò deſumitur ex modo afficiendi ſubſtantiam.

16. Species dividitur in prædicabilem, & ſubijcibilem, ſpecies ſubijcibilis eſt, quæ ponitur ſub genere, & de qua genus prædicatur in eo quod quid, prædicabilis, eſt quæ prædicatur de pluribus differentibus numero in eo quod quid; ſpecies autem ut ſubijcibilis prædicabilis non eſt.

17. Differentia conſtituitur univerſalis in ordine ad inferiora ſpeciei, quam conſtituit, & de illis prædicatur in quale quid; pro explicito quidem, ut pars, pro implicito tamen, & ſe-

& ſecundum id, pro quo ſupponit, ut totum actuale, undè differentia eſt illa, quæ prædicatur, & de pluribus differentibus ſpecie in quale quid.

18. Proprium formaliter eſt illud, quod prædicatur de pluribus neceſſariò, & eſt duplex aliud ſubalternum, illud ſcilicet, quod convenit compoſitò ratione generis, aliud ſpecificum, quod profluit à conceptu ſpecifico, & utrumque dicuntur ad converſionem eius, cuius eſt proprium, & conſtituitur in eſſe univerſalis in ordine ad inferiora eius, cuius eſt proprium.

19. Accidens formaliter, & ſecundò intentionaliter eſt, quod prædicatur de pluribus contingenter, & conſtituitur in eſſe univerſalis in ordine ad ſubiecta illud recipientia, non autem in ordine ad inferiora ex parte formæ.

DE ANTE PRÆDICAMENTIS.

20. Concretum verè poteſt prædicari de altero concreto, quando ſignificat formas in eodem ſuppoſito, ſi autem ſuppoſitum habens formam realiter ab illa diſtinguitur, ſivè adæquatè, ſivè inadæquatè non poteſt abſtractum prædicari de concreto, nec è contra, quando autem ſuppoſitum habens formam realiter non diſtinguitur à forma, abſtractum poteſt prædicari de concreto.

21. Abſtracta ſignificantia formas realiter identificatas ad invicem verè prædicantur, itaut ſi abſtractum quod prædicatur, includitur in conceptu formali ſubiecti prædicatio eſt vera in ſenſu formali, ſi autem non includitur eſt vera in ſenſu identico; quando autem ſignificant formas realiter diſtinctas ad invicem prædicari non poſſunt.

DE PRÆDICAMENTIS.

22. Prædicamenta ſunt tantum decem ſcilicet; ſubſtantia; quãtitas, qualitas, relatio, actio, paſſio, ubi, ſitus, quando, & habitus; ſubſtantia eſt quidditas, cui debetur eſſe per ſe, quæ dividitur in primam, & ſecundam; prima eſt, quæ nec in ſubiecto eſt, nec de ſubiecto dicitur; ſecunda eſt, quæ

quæ non eſt in ſubiecto, de ſubiecto tamen dicitur, cuius proprietas quarto modo eſt eſſe ſuſceptivum contrariorum.

23. In prædicamento ſubſtantiæ directè ponitur tantùm ſubſtantia creata, finita, completa, incompleta, univoca; & ideo Deus non ponitur in prædicamento ſubſtantiæ nec directè, nec reductivè; Chriſtus Dominus tamen, qui univocè convenit cum alijs creaturis ponitur in prædicamento ſubſtantiæ, ut homo eſt; reductivè tamen etiam ſubſtantia incompleta ponitur in hoc prædicamento.

24. Quantitas eſt extenſio partium in ordine ad ſe, undè eſſentia eius conſiſtit in aptitudine ad extendendas partes ſubſtantiæ, & dividitur in continuam, & diſcretam; continua in ſuperficiem, lineam, & corpus; diſcreta in numerum, & orationem, cuius proprietas quarto modo eſt, quod ab ea res dicantur æquales, vel inæquales.

25. Relationes reales conſtituentes ſpeciale prædicamentum dantur, quarum totum eſſe eſt in ordine ad aliud, & realiter entitativè diſtinguuntur ſivè a fundamento, & termino, ſimul ſumptis, ſivè diviſivè ſumptis. Dividuntur in relationes mutuas, & non mutuas, quæ non terminantur formaliter ad aliquid relativum, ſed ad aliquid abſolutum.

26. Qualitas eſt qua quales eſſe dicimus, & dividitur in habitum, & diſpoſitionem eſſentialiter differentes inter ſe; potentiam, & impotentiam differentes inter ſe accidentaliter, tanquam perfectum, & imperfectum; formam, & figuram, & paſſionem, & paſſibilem quantitatem etiam inter ſe accidentaliter differentes, cuius proprietas eſt, quod ab ea res dicuntur ſimiles, vel diſſimiles.

27. Actio eſt forma, ſecundum quam id quod ſubijcimus operæ denominamus; Paſſio ſimiliter eſt id, ſecundùm quod pati denominamus. Quando eſt id quod ex temporis adiacentia relinquitur. Ubi eſt circumſcriptio corporis à circumſcriptione loci proveniens. Situs eſt ordinatio partium in loco. Habitus eſt circumſcriptio veſtium.

DE

DE POSTPRÆDICAMENTIS.

28. POſtprædicamenta ſunt quinque prioritas, oppoſitio, ſimultas, motus, & modus habendi; oppoſitio alia eſt contraria, alia contradictoria, alia privativa, alia relativa; ſimiliter prioritas, ſicut ſimultas eſt quintuplex, ſcilicet temporis, naturæ, ſubſiſtendi conſequentia, ordinis, & dignitatis.

DE POSTERIORIBVS.

29. DEmonſtratio eſt ſyllogiſmus conſtans ex veris, primis, immediatis, notioribus, prioribus, cauſiſque concluſionis; cujus præmiſſæ efficienter concurrunt ad aſſenſum concluſionis, & neceſſitant quoad ſpecificationem, non verò quoad exercitium ad aſſenſum concluſionis.

30. Scientia habitualis eſt cognitio certa, & evidens per demonſtrationem acquiſita. Dividitur in ſubalternatam, & ſubalternantem; & ſubalternata ex ſe verè, & propriè ſcientia eſt quoad ſubſtantiam, licèt in non habente ſubalternantem habeat ſtatum imperfectum ſcientiæ.

31. Ad habitum ſcientiæ non ſolùm pertinent concluſiones, ſed & præmiſſæ ut illativæ, licet præmiſſæ ſecundum ſe ad habitum primorum principiorum pertineant. Scientia, quæ eſt una ſpecie, eſt ſimplex qualitas.

32. Unitas ſcientiarum deſumitur ab aſtractione à materia ſui objecti, quæ triplex eſt, vel abſtractio ab omni materia, vel etiam à materia ſenſibili, vel tantùm ſingulari. Sub quibus genericis abſtractionibus aliæ ſunt ſpecificæ deſumptæ ex eo quod magis, vel minùs accedant ad ſuperiorem immaterialitatem.

LAUS DEO.

99 M5967